



ius cadauer, integrum adhuc visum, et paullo post in cineres collapsum, vt interdum fieri solebat, humauerant. Quam quidem ad rem adcuratius explicandam, valde iuuat sarcophagus lapideus, cum vrna, fibulis ac lucernis sepulcralibus Wormatiae erutus, et cadauere humano refertus*).

X

Hactenus ea a me disputata sunt, quae monimentorum sepulcralium naturam illustrare videbantur. Sequitur nunc, vt eatenus de iis, quatenus ad Thuringiam spectant, disseram. Quum imagunculam tauri figuram, seu, si quis mauult, Apidem repraesentare ostenderimus, tauri autem aequae ac Isis cultus

*) HANSELMANN l. c. §. 6. 7. p. 105. sq.